
CIRCA ANNUM DOMINI MXXII

ERMENGAUDUS

NOTITIA

(FABRIC., *Biblioth. med. et inf. Lat.*, II, 107.)

Ermengardus, sive Ermengaudus, scriptor sæc. XII vel XIII. Hujus opusculum *contra Waldenses* (1) extrema parte mutilum et XIX tantum ejus capita vulgavit Jacobus Gretserus Ingolstæd. 1614. 4, cum Bernardo abbate Fontis Calidi et Ebrardo Bethuniensi; inde recusa hæc trias scriptorum Anti-Waldensium in Bibliothecis Patrum Parisiensi anno 1644-1655, tomo IV, et Lugdunensi anno 1777, t. XXIV. Debet etiam iterum comparere inter Gretseri Opera, tomo XII.

(1) Pamelius, in Cypriani epist. 63.

INCIPIT

OPUSCULUM ERMENGAUDI

CONTRA HÆRETICOS

Qui dicunt et credunt mundum istum et omnia visibilia non esse a Deo facta, sed a diabolo.

Opp. GRETSERI, t. XII p. 223.)

CAPUT PRIMUM.

Deum esse rerum omnium creatorem

Hæretici dicunt et credunt mundum istum, et omnia quæ in eo videntur, videlicet, cælum, quod videmus, et solem, et lunam, et stellas, et terram, et omnia animalia, et homines, et ea quæ in ea videntur, mare et pisces, et omnia quæ in eo videntur vel sunt, dicunt in absconditis suis, ab omnipotenti Deo non esse facta, sed a principe malignorum spirituum. Quibus hæreticis, et eorum isti malitioso errori plurimæ Novi Testamenti auctoritates sunt contrariæ.

Habetur in Evangelio B. Joannis, qui contra hæreticos talem errorem affirmantes scripsit, dicens : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum: Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan. 1*). » In hoc manifestum est quod Deus omnipotens, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, creavit et fecit omnia visibilia et invisibilia, et B. apostolus Paulus in Epistola ad

A Hebræos testatur, dicens : « Fide intelligimus sæcula aptata esse Verbo Dei (*Hebr. xi*). » Item in eadem Epistola : « Qui omnia creavit, Deus est (*Hebr. iii*). » Item, in Actibus apostolorum invenitur, quod omnes apostoli et discipuli in unum congregati vocem suam unanimiter levaverunt, dicentes : « Domine Deus, tu, qui fecisti cælum et terram, et mare, et omnia, quæ in eis sunt, etc. » (*Act. xiv*.) Item, quod Joannes in Apocalypsi dicit : « Et angelus, quem vidi stantem supra mare, et super terram, levavit manum suam ad cælum, et juravit per viventem in sæcula sæculorum, qui creavit cælum et terram, et omnia, quæ in eis sunt, » etc. (*Apoc. x*.) Item in eodem : « Timete Dominum, et date illi honorem; quia venit hora judicii ejus; et adorate eum, qui fecit cælum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt, et fontes aquarum, » (*Apoc. xiv*). » Item Paulus in Epistola ad Hebræos dixit : « Et tu in principio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cæli (*Hebr. i*). » Item in Evangelio secundum Matthæum :